

## Die Urkunden Pippins, 40

In nomine domini ab incarnatione domini nostri Jesu Christi anno . . . , qui cum patre et spiritu sancto regnat deus ante et in futura saecula amen. Pipinus gratissima domini eadem largiente gratia patricius Romanorum almo patri beatissimoque apostolorum principi Petro et per eum sancto in Christo patri Gregorio apostolica sublimitate fulgenti eiusque successoribus usque in finem seculi. Dum post multas iniquissimas calamitates et immensas tribulationes, quae ab impia Langobardorum gente sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae eiusque ditioni subsistentibus populis quotidie prolixius inferebantur, sanctissimus et beatissimus eiusdem alme sedis pontifex Stephanus nomine imperatorem Constantinopolitanum nomine Leonem per legatos accessit, ab eo, quod et commutationis admittens adminicula tertio expetiisset et ne ab illo sicuti et decessores sui almi pontifices capsatus angustiis fieri voluisset, petiit, ut se resociari amicitiae licentiam haberet vel, quicquid vellet circa hoc regnum per patronatum defensionemque nominis nostri eligendum, sibi suisque eligere [pro] salute valeret. Cuius petitioni intercedente eodem clavigero regni celorum isdem imperator adsensum prebens litteris suis non solum Romanis, sed etiam nobis innotuit, quod eidem pontifici concessam haberet licentiam amicum et tutorem sanctae suae ecclesiae senatuique Romano atque cuncto exarchatui Italico illi subiacenti patrono faederis roboratione firmare, quoniam se plurimis tribulationibus anctum hinc inde circa vicinitatem suam referebat. Igitur per legatum eiusdem imperatoris nomine Marino utraque nobis epistolae oblatae sunt, insuper etiam apostolica epistola, in qua continebatur ac insinuabatur praeceptum dei omnipotentis eiusque caelestis ianitoris magni apostoli Petri illic pacificum nos ad usque properandi, quae parassemus. Sed dum Aistulphus Longobardorum rex per missos nostros hoc didicisset, valde iratus intumuit, pluriora et deteriora quam prius minabatur ipsi sancto loco apostolico suisque omnibus inlaturus, itineri tamen illius post nostras praeces malignanter obviare voluit. Summus vero pontifex a Roma usque ad regnum nostrum pariter cum missis nostris accelerans a filiis nostris et a nobis cum omni humilitate seu devotione libentissime susceptus est, qui totum hyemale tempus nobiscum in Francia moratus est. Verum quidem divina favente potentia non vacui, bis enim legatos super eius facto Longobardorum regi direximus deposcentes pacem et securitatem interventione tutelaque patronatus nostri eidem [Petro] eiusque vicario atque cunctorum Romanorum caetui, idem namque rex multo magis deteriora promittebat. Interea misimus, quod muneribus illi satisfacere voluissemus in tantum, ut viginti septem millia solidos in argento et duodecim millia in auro pro securitate et pace anticipatae almae matris nostrae ecclesiae suisque pertinentiis, quae caput et origo totius christanae religionis fore non ambigitur et ab omnibus christianis paenitus profitetur, recipere a nobis dignaretur, quoniam nequaquam sine certa securitate eundem sanctum virum, beatissimi apostolorum principis Petri vicarium, a nobis egredere [nec] ullo modo contristare voluimus, quod tam divino inflammati amore quamque humana amicitia delectantes [non] permitteremus. Ille ut prius intolerabilia mala permittens nullum pacis dare voluit responsum. Inter haec iam fatus dominus et benignissimus papa a deo aeger effectus est, ut pene omnes de vita illius carnali diffideremus. Sed superna largiente gratia, dum omnes desperati pene astaremus, ictu oculi potissime nimium convaluit caepitque nos illico exorare, ut in nomine domini per intercessionem beatissimi Petri audaciter contra Aystulfum Langobardorumque gentem insurgeremus ob tuitionem sanctae Romanae ecclesiae suorumque omnium. His et caeteris exortati precepimus, ut ex regnis nobis a domino subditis comites tribuni et duces et grafiones post octavas pasche nostrae adessent

praesentiae, cum quibus de talibus inire debuissemus consilium. Cumque iussum nostrum fuisset impletum et omnes eadem die coram nobis astarent, statuimus cum consensu et clamore omnium, ut tertio kalendas maiarum in Christi nomine hostiliter Longobardiam adissemus sub hoc quippe pactionis faedere, per quod pollicemur et spondemus tibi beatissimo Petro clavigero regni caelestis et principi apostolorum et per te huic almo vicario tuo Stefano egregioque papae summoque pontifici eiusque successoribus usque in finem seculi per consensum et voluntatem omnium episcoporum abbatum ducum comitum Franchorum, quod, si dominus deus noster pro suis meritis sacrisque precibus victores nos in gente et regno Langobardorum esse constituerit, omnes civitates atque ducatus seu castra sicque insimul cum exarchatu Ravennatum necnon et omnia, quae pridem tuae per imperatorum largitionem subsistebant ditioni, quod specialiter inferius per adnotatos fines fuerit declaratum, omnia quae infra ipsos fines fuerit ullo modo constituta vel reperta, quae [ab] iniquissima Langobardorum generatione devastata, invasa, subtracta, ullatenus alienata sunt a te tuisque vicariis, sub omni integritate tibi aeternaliter concedimus, nullam nobis nostrisque successoribus infra ipsas terminationes potestatem reservantes, nisi solummodo, ut orationibus ad animae requiem perfruemur et a vobis populoque vestro patricii Romanorum vocemur. Incipientes ab insula Corsica eandem insulam integriter, deinde a civitate Pistoria, inde in Lunis, deinde in Luca, deinde per monasterium sancti Severiani in monte Pastoris, inde in Parma, deinde in Regio, inde in Mantua, deinde in Verona, inde in Vincentia, deinde in Monte Silicis, deinde per Bituneas ducatum Venetiarum et Istriae integriter cum omnibus civitatibus castris oppidis vicis parrochiis ecclesiis eis subsistentibus; deinde Audrianensem civitatem in Cumaclum, deinde in Ravenna cum ipso exarchatu sine diminutione, Aemiliam, Tuscias ambas Langobardorum et Romanorum, Pentapolim, Montemferetrum, Orbinum, Callis, Luciolis, Egubium, Esim, Auximum, deinde in ducatum Spolletinum integriter, ducatum Perusinum integriter, Bulimastium, Olecha, Narni, Utricolum, Manturanum, Castrum Vetus, Collinano, Roselle, Populonia, Centumcella, Portus et Hostia; deinde Campania integriter, Anagnia, Segnis, Frisilonis, Vipernis, Getulem, Patrica et Castrum Nebitas, Taracina, Fundi, Spelunca, Gaieta; et si idem deus dominus noster nobis Beneventum et Neapolin subdere dignatus fuerit, integriter tibi beatissime apostolorum princeps Petre concedimus omnia prefata loca; id est Aemiliam, Pentapolim, Tuscias ambas, ducatum Perusinum, ducatum Spolletinum cum omnibus civitatibus, castris atque monasteriis, episcopatibus sub huiusmodi iureiurando – <sic et sic et cetera; et deinde, sub qua ratione hoc renovaretur pactum>